

Q5210.2
Yc
6939

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
PENTECOSTALIA SACRA
IN
TEMPLO ACADEMICO
ORATIONE SOLENNI

DIE XIV. MAI. A. R. S. H. MDCCCLXXX.

RITE CONCELEBRANDA

INVITAT.

*Publicatae in Saxonia Formulae Concordiae memoria
bissecularis.*

HECTOR
ACADEMIAE HISTORICAE
AD
PENTECOSTALIS SACRA

THESSALONICENSIS
BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA





Ducentesimus iam agitur annus, ex quo ecclesia euangelica di-
vino munere librum vere aureum et longe praestantissimum,
cui ab auctoribus suis *Formulae Concordiae* nomen inscriptum
est, e manibus sanctissimi, pacisque et veritatis amantissimi Principis
AVGVSTI Saxonis magna cum salute sua accepit. Cum enim opus
illud saluberrimum, laboribus molestissimis et diuturnis feliciter tan-
dem exantlatis, absolutum esset, religiosissimus Princeps, et in Deum
ob veritatem salutarem diuinitus reuelatam gratissimus, auspicatissimo
illo die, quo tum ante annos quinquaginta Augustana Confessio Cae-
fari exhibita fuerat, librum hunc symbolicum in lucem emisit, et
ecclesiae pio solennique ritu tradidit, ut tam memoria beneficii di-
vini olim accepti, quam nouo prouidentiae diuinae munere excitata,
magnitudinem beneficiorum Dei sanctissimo plenissimoque pietatis
cultu prosequeretur, Christumque, coetus sancti Dominum, et mente
et voce veneraretur pura, integra atque incorrupta. Laetissimus is
fuit annus ecclesiae euangelicae in plerisque Germaniae prouinciis,
in quibus religio Christiana ab errore et superstitione repurgata inde
a primis statim initijs reformationis sacrorum, maxime ab exhibita
confessione fidei in Comitiis Augustanis altas egerat radices, inpri-
mis vero in terris Saxoniceis, Brandenburgicis, Palatinis, Brunsui-
censibus, Megapolitanis et Würtenbergicis, in quibus Principes,

A 2

Ordi-

Ordines, Doctores Academiarum et Ecclesiarum, ciues denique magno consensu veritatem euangelicam, in libro hoc luculenter propositam, et ab erroribus, quibus eam aduersarii contaminare, variis et artibus et fraudibus sat impie, sat proterue ausi fuerant, grauiter defensam et vindicatam probabant, et communi gratulatione et plausu recipiebant. Neminem historiae istius temporis gnarum fugit, quantae molis fuerit opus illud perficere, et quot insidiis, machinationibus et calumniis petitus sit, cum ad finem esset perductum, et quibus modis et artibus impietas turbatorum pacis et concordiae approbationem, subscriptionem et publicationem libri huius impedire conata sit. Quae vero cum impediri non posset, AVGUSTO quippe, et consiliorum pariter ac laborum sociis, Principibus, Ordinibus et Doctoribus malo haud cedentibus, sed contra audentius fortiusque euntibus, fingendi et calumniandi licentiam sibi indulserunt, ut eo facilius, licet famae suae et fidei periculo, aliis persuaderent, inuito iratoque Numine opus illud prodiisse. Auctor est HOSPINIANVS, qui, vt famam Formulae Concordiae laederet, dignitatemque eius deprimeret, nihil intentatum reliquit, eo anno, quo prodierit, horrenda prodigia in Saxonia passim visa esse, in libro *de origine et progressu libri Concordiae c. 36.* e quo verba illius repetemus, ne, si forte quaedam occurrant, quae viro docto et graui minus digna iudicari queant, ea per iniuriam vel ludibrium dici videantur. Sic vero ille: "Etsi vero multi adhuc Principes, aliqui Ordines Augustanae Confessionis editionem libri huius omnibus modis dissuaderent, eamque impedire conarentur, ad legitimam eius in Synodo cognitionem et emendationem usque: tamen illis Principibus et Ordinibus, qui subscripserunt, ab Harmostis Bergensisbus persuasum est, vt anno 1580, librum publicarent. Quando horribilis cometa visus est, in aquario ardens, et contra signorum ordinem motum habens, et subinde versus Septentrionem declinans. Bis etiam coelum arsit hoc anno: visa sunt faces in aere: bis terrae motu Berga, vbi Liber hic fabricatus est, concussa fuit: passim quoque in Saxonia horrenda prodigia conspecta sunt." Quae vti hic posita sunt, etsi suspicione omnino non careant, auctorem iis indicare voluisse, Deum iratum offenditque libro isto indignationem summam signis eiusmodi manifestasse, lubentissime tamen a tali iudicio nobis temperaremus, nisi ipse optimus mentis

mentis suae interpres, verbis istis statim subiecisset suam prodigiorum istorum explicationem, quae an digna sit viro docto et graui, vide-rint alii:

*Scilicet haec clades funestaque bella notarunt,
quae nouis hic toto nuntiat orbe liber.*

*Sed pariter Christus Libro sua fata minatur,
et vix nascenti nuntiat exequias.*

Vt vero constantiam irato coelo in improbando puniendoque consilio et labore circa elaborationem et subscriptionem Libri suscepito asserat, tam Bergae, quam Wittebergae, tribus quoque annis ante eius publicationem, varia prodigia contigisse perhibet. Cum enim triumviri egregii, SELNECCERVS, ANDREAE et CHEMNITIVS censuras exterorum Theologorum de Libro latas sub examen vocaturi, Bergam ineunte vere conuenissent, ea nocte, qua venerint, inusitatum quendam tremorem magnum templum concussisse tanto prodigo, vt aedituis, qui in templo vigiles egerint, totum aedificium corruiturum visum fuerit, sequenti vero die cum essent Cantores ad visitatas preculas demurmurandas conuocandi, campanam ad primum attractum ruptam esse, et pro tinnitu insolitus barritum edidisse, narrat l. c. C. 26. Verum dolemus bonum virum tam facile ad credendum induci se passum esse, vt se ipsum fecellerit. Templum enim, quod tum tremore terrae inusitato concussum esse ait, viginti octo ante annis in obsidione Magdeburgi ab irato Caesare proscripti, cum monasterio, solo aequatum fuit. Wittebergae eodem anno, quo subscriptio F. C. facta est, quaedam prodigiose euenisce scribit c. 20. evidenterissimo scilicet diuini iudicij testimonio fulmine tactum esse utrumque arcis et parochiale templum, et simul una collegium, Augusti nunc dictum, olim Lutheri monasterium. Haec ille. Quae, quo animo scripserit, neminem, qui aliquam librorum eius aduersus ecclesiam evangelicam editorum notitiam habet, latere posse arbitramur. Haec vero omnia a GODOFR. ARNOLDO secure transscribi, et probari potuisse in Hist. Eccles. P. II, lib. XVI. c. 18. mirum iis videri non potest, quibus de animo illius et ecclesiae evange-

licae, almae scilicet matri suae, et libris symbolicis, maxime F. C. infinitissimo constat. Verum opus illud ecclesiae saluberrimum Deum habuisse propitium, eiusque auxilio praesentissimo potentissimoque adiutum esse, tam quia causa Dei et veritatis diuinæ fuit, quae tum acta est, quam euentu consilii studiique, librum hunc conseribendi, usibusque ecclesiae dedicandi, prosperrimo edicti et confirmati, certissime scimus, gratissimaque mente profitemur. Quo major enim utilitas est, quae ex beneficio illo vere diuino in ecclesiam euangelicam, perspicue exposita, solide confirmata, strenue et grauiter vindicata veritate coelesti, quae sola rectam salutis viam docet et monstrat, redundauit; eo maiore pietatis studio et quasi ardore incitati, Deo gratias ut persoluamus pro conseruato nobis beneficio illo per duo saecula, religio a nobis exigit. Neque enim sanctos, neque religionum colentes nos esse posse arbitramur, nisi iustas debitasque Deo gratias iustis honoribus et memori mente persoluamus.

Ad hoc pietatis officium vel solo Excelsi Principis AVGVSTI exemplo vere augusto, excitari nos eo facilius patimur, quo laudabilior immortalis Principis pietas est, et quo excelsiore in loco monumenta illius posita sunt. Curae enim illius sapientissimae, indefesso studio, sanctae veritatis castam integrumque scientiam ecclesiae restituendi cupiditati, saluberrimis consiliis, et summae in erogandis summis, suscipiendo perficiendoque operi impendendis, liberalitati, libri huius conscriptionem et editionem in primis debet ecclesia. Extant in historia consiliorum et conuentuum, illius conscribendi et examinandi causa institutorum, multa pietatis Augusti eximiae documenta, inter quae potissimum eminent consilia pia nemine suggestente, nemine flagitante, de pace et concordia in ecclesia restituenda, amore erga Deum et religionem puro et sancto suscepta, cuius rei testis est in primis SELNECCERVUS, qui iussu optimi Principis omnibus interfuit consiliis illius rei causa initis. Is enim in *recitationum suarum de consilio scripti libri Concordiae* recit. II. ait, cogitasse inclitum Principem instinctu Spiritus S. de dissidiis istis vera ratione componendis, et hac in re optimum Principem imitatum et secutum esse Constantini et Theodosii exemplum, sine omni dubio non tam humano affectu, quam Spiritus S. impulsu, nemine suggestente, nemine consilium suppedante,

ditante, imo fere nemine de tollendis dissidiorum reliquis cogitante, negotium illud in gloriam Dei et veritatis propagationem, et in Ecclesiarum et Scholarum Aug. Conf. utilitatem et salutarem quietem ac concordiam, et posteritatis perpetuum emolumentum in timore et inuocatione filii Dei, cuius causa, doctrina et gloria ea proprie fuerit, intrepide aggredi coepisse. Literae eius ad Theologos primo Lichtenburgum, deinde Torgauiam conuocatos, insigne huius pietatis documentum exhibit. Suo enim, non aliorum consilio et motu, rem primus omnium aggressus religiosissimus Princeps, Comites suos Consistorianos et Theologos consiliorum suorum participes fecit, seque ipsum consilii et operis auctorem publice professus est. Leguntur apud H V T T E R V M in Concord. Conc. c. IX. Frustra igitur dicuntur, quae H O S P I N I A N V S c. IX. protulit, inculcata esse Electori dissidia, quae restarent inter Theologos, hisque et similibus de causis ei placuisse, vt in arcem Lichtenburgensem conuocauerit certos Theologos, quos alienos esse a veriore sententia constiterit; quibus postremo subiicit, Theologorum consilium, Principi Lichtenburgi datum, puerile admodum esse. Idem testantur eius verba, quibus consilii sui rationem significauit Theologis in conuentu Torgauensi, quibus institutum illud vt Deo gratum atque acceptum, omnipotentiae eius verboque salutari gloriosum, ecclesiae vero Dei ad ineundam stabiiliendamque pacem et concordiam utilissimum commendat. Ad omnem inprimis posteritatis memoriam insigne est, quod de pietate eius memorias proditum legimus, cum in concilio Theologorum graues inter quosdam lites super argumento quodam ortae essent, hunc re audita Deum orasse supplicem, vt Spiritu suo animos eorum collustret, et in veritate asserenda confirmet, nec consilia de pace instauranda irrita cadere sinat, nuntioque accepto, omnia prospere et ex voto succedere, D. Iacobo Andreeae ita respondisse, vt de insigni eius verae religionis studio, et praeclara pietate inde constaret; Gratiis enim Deo actis, se precibus ardentissimis sacrosanctam Trinitatem adiuturum esse sponder, vt euentu exoptato opus illud pium et sanctum exornet. Annuit vere summum numen precibus Principis de ecclesia et republica immortaliter meriti. Vedit enim rata suis Deoque probata consilia sua, vedit euentum corum longe exoptatissimum, vedit denique diem ecclesiae ob Confessionem ante dimidium saeculi Caesari Augu-

Augustae exhibitam, sacrum et festum, novo gratiae diuinae beneficio celebriorem reddi atque illustriorem. Eo enim librum Concordiae absolutum, et ad Principes Euangelicos, quos consiliorum suorum socios habuerat, transmisit, et doctoribus Academiarum, Ecclesiarum et Scholarum per vniuersam Saxoniam tradidit, quibus per duo saecula norina et regula doctrinae publicae fuit, cum reliquis libris in numerum symbolorum, seu confessionum publicarum, auctoritate et consensu ecclesiae receptis, a quibus ecclesia ipsa nunquam recessit, licet aegerrime ferat, acerbeque doleat, nostra potissimum aetate eos a multis, quibus Lutheranorum nomen, nescimus cur? retinere, sibique vindicare placet, caeterum veritates religionis saluifcae praecipuas, in LL. SS. ecclesiae Lutheranae e Scriptura S. explicatas et propositas, tantum non omnes abiiciunt, contemnunt, imo impugnant, contemtui iniquissimo, imo ludibrio admodum impio exponi.

Hoc vero eo acerbius luget, quo insigniora sunt atque excellenteria beneficia, per librum Concordiae veris ac genuinis euangelicae veritatis confessoribus comparata, quae ab istis tam imprudenter, quam impie contemni animaduertit, quibus vero cognitum perspectumque non est, ut esse debebat, cum quo labore verum inueniatur, et quam difficile caueantur errores, quanta cum difficultate sanetur oculus interioris hominis, quantisque suspiriis et gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte posit cognosci Deus; quibus verbis AVGVSTINVS veritatis antiquae, quae perspicue proposita, et solide confirmata est, osores, contemtores et hostes depingit. Formula Concordiae solam probat Augustanam Confessionem, quae prima est et non mutata, et tam Principes, quam Theologi, quorum consiliis et operis scriptus est hic liber, laudabile studium in eo posuerunt, ut prima Euangelicorum Confessio, mutationes varias, ut constat, passa, primae suae integritati pristinoque nitori restitueretur. Non solum enim probe memores erant, quam turpi opprobrio Protestantibus, inprimis Melanchtoni, in Colloquio Wormaciensi MDXLI. versum fuerit ab Eccio, quod exemplar A. C. ipsi tum ab eo exhibitum, ut colloquium vtriusque partis super illa, pacis quaerendae causa, institeretur, ab eo, quod ante vndeclim annos Caesari traditum fuerat, in quibusdam partibus diuersum sit; sed experti quoque erant non leue

leue damnum e mutatione ista admodum periculosa ortum, quod ii, qui a veritate religionis hinc inde recedebant, variis erroribus indulgebant, in Confessione variata latebras quaesiisse, et iactato citra veritatem consensu cum A. C. variata scilicet, quam emendatam dicere audebant, incautos et rei non satis gnaros turpiter fefellisse, aduersariis vero ecclesiae nostrae facile persuasisse, eam mutata, imo deserta Confessione sua, beneficiis ob illam ipsi a Caesare concessis excidisse, et quouis fere septennio, sic enim calumniabantur, fieri aliquam Confessionis mutationem, nec reperiri duos saltem Euangelicos concionatores, qui de omnibus et singulis articulis A. C. consentiant, sed tantas inter eos omnes esse dissensiones, ut ne quidem amplius norint, quae sit vera Augustana Confessio, et ipsius genuina et germana sententia, teste F. C. in solida declarat, art. XII. Restituit igitur F. G. ecclesiae nostrae pristinam et auctoritatem et dignitatem, quippe cuius historia et praefatio testatur, Augustanam Confessionem pristino suo decori summo studio summaque adhibita diligentia restitutam esse, et ecclesiam Euangelicam nunquam posteriorem editionem A. C. variatae scilicet, in ea sententia accepisse, quae a priori illa, quae Caesari exhibita fuit, vlla ex parte dissideret. Testata est praeterea ecclesia nostra in F. C. et per eandem, atque coram Deo et omnibus mortalibus publice professâ, partim nullam aliam doctrinam a se admitti ac ferri, quam quae Augustae anno MDXXX. solenni confessione approbata sit; partim in F. C. siue declaratione articulorum controversonrum, non nouam confessionem aut ab ea, quae Imper. Carolo V. exhibita fuit, alienam asserri, sed membra ecclesiae per eandem tum ad fontes sacrarum literarum et symbola, tum ad Confessionem Augustanam deduci debuisse. Formulae C. beneficio igitur et vindicata est ecclesia ab opprobrio variationum in typo doctrinae admissarum, ipsi ab aduersariis perpetuis, a BOSSVETO in primis, aliisque, postea frustra obiectarum, vel potius affictarum, et omnes, qui integra sanctaque fide pectoris, atque libera confessionoris eam custodiunt, erroresque per eam profligatos non impio consilio et temerario ausu in ecclesiam reprocant, sed potius toto pectore fugiunt, iure ab eodem liberantur, illudque in eos merito suo deuolvi vident et probant, qui nouitatis studio abrepti, primam laurum in

contemtu et deprimenda auctoritate LL. SS. abiiciendaque doctrina in iis proposita sibi quaerendam esse centent. Nos quidem ex animo subscribimus verbis SELNECCERI, immortalis nominis Theologi, in vita AVGVSTI, spem certissimam, inquietis, alimus, quoad in his aliisque regionibus, scholis et ecclesiis confessio et declaratio doctrinae, in Christianae Concordiae libro comprehensae, custodietur et confer-
vabitur, veritatem verbi Dei et salutaris doctrinae sine fanaticismo cum aliis beneficiis diuinae benedictionis a nobis haud esse recessuram; Simulac vero a confessione certa et vera vel minimum recedetur, verendum esse, ne Deus, qui ingens illud beneficium nobis postremo dedit, nos gratia sua destituat, et blasphemias varias, fanaticasque delirationes in ecclesia spargi patiatur. Quae omnia infelici euentu passim proh dolor! comprobata esse, cum damno suo sensit ecclesia, et etiamnum sentit.

Atrociores aduersarios, tristiora fata et grauiora odia libro Concordiae, cuius memoriam bissecularē iam grato in Deum animo concelebramus, alium ex ingente librorum mole et numero habuisse, a nobis plane ignoratur; id vero hic nobis in memoriam reuocamus, ut magis intelligamus, quot et quantae difficultates superandae fuerint ante, quam libro illi egregio suus constiterit honos, sua dignitas, suum pretium. Ex historiarum monumentis illius temporis, quo publicatus est, clarum est, inter Principes illos, quorum consiliis et studiis primae debentur huius libri origines, fuisse aliquot, qui, opere ad finem perducto, non solum subscriptionem eius recusarunt, verum etiam promulgationem illius quoquis modo impedire studuerunt. At bono animo AVGVSTVS erat, causam Dei esse, quam agebat, probe conscient, de studio operi bene coepito, bene finito, colophonem imponendi nequicquam remittebat, et innumeris mole-
stis ac difficultatibus superatis, deuoratisque taediis, quae ex iniquis-
simis libri maximaee parti ecclesiae Euangelicae probati censuris con-
ceperat, incredibili liberalitate amplissimas impensis fecit in librum Concordiae edendum. Vtrum editus et ad Fridericum II. Daniae Re-
gem ab Augusto missus, ab illo in ignem proiectus sit? aliis disqui-
rendum discutiendumque relinquimus; nobis sufficit hic repetuisse,
quod

quod dubio caret, in Dania tum quidem seuere in Concordiae librum pronunciatum, et poena capitis constituta venditionem et lectionem eius prohibitam fuisse, quae indignatio grauissima in librum innocuum, et nil tale merentem a Theologis, qui partim ecclesiae Euangelicae, cuius hostes tum clandestini, post manifesti erant, partim auctoribus F. C. male cupiebant, NICOLAO HEMMINGIO et PAVLO AB EITZEN, aliquique, per inuidiam conuersa est. Hanc satis expertus est non solum extra, sed etiam maxime intra fines Germaniae. Adversarii enim eius tam numerosi in lucem prodierunt, ut cohortes eorum constituere necessum fuerit illis, qui calumnias omnes, quibus eum paene obruerunt, enumerare animo conceperunt. Suscepit id in primis H V T T E R V S, fortissimus libri Concordiae hyperaspistes, in Prolegomenis in librum Concordiae, explicationi eius praemissis, in quibus tres calumniatorum illius classes constituit, quorum alii originem et progressum, simulque viros, quorum consilio et opera conscriptus est, alii finem, quo scriptus est, alii denique modum improbandi et reiiciendi errores, siue falsas aduersariorum opiniones exagitarunt. Illos enim si audias, omnis in vniuersum pax in ecclesia per librum hunc sublata, spesque vnionis cum aliis ecclesiis tantopere exoptatae desperita est, contra vero liber Concordiae illis habetur facis instar funestae, quam bellum ecclesiarum inexpiable exarserit, occasio seditionibus et funestissimis bellis praebita, pax publica violata, ecclesiae et scholae euerae, earumque doctores mitere afflicti sint, paucis, nihil non mali ecclesiae illatum sit. Verum illos omnes, partim qui publicato statim Concordiae libro, partim qui saeculo uno alteroue post illius promulgationem elapo, male de eo senserunt, inter quos GODOFR. ARNOLDVM esse haud miramur, SPENERVM esse dolemus, si conditionem temporum eorum tristissimam, ecclesiae grauissimam calamitatem, consiliorum, de publica confessione hostibus, calumnioribus et turbatoribus ecclesiae mature opponenda, sapientiam, summatam eiusmodi confessionis necessitatem, explicationem articulorum fidei summi momenti praecipuorum, e. g. de iustificatione, de persona Christi, de Coena Domini, de praedestinatione, rel. plane egregiam, qua intelligens quisque, dummodo non indulget praeiudicatis opinionibus, impense delectatur, assiduitatem, fidem, constantiam

et dexteritatem auctorum in eo conscribendo adhibitam, et commoda ecclesiae vere magna et salutaria per eum parta et acquisita, recte perpendissent, non solum mitius de eo iudicaturos, sed etiam gratias Deo debitas persoluturos fuisse confidimus. Iugum quidem sibi aliisque imponi per Formula C. putant, quotquot eam contemtu afficiunt et odio perseguuntur, verum, si iugum dicere amant, meminerint quaeſo, esse instar Euangeli I. C. ζυγόν χειρού, καὶ φρεστίον ἐλαφρὸν; esse enim puram integrumque salutaris doctrinae explanationem et confessionem, esse egregiam ecclesiae apologiam aduersus calumnias et criminationes falsarum doctrinarum, variatae et mutatae, imo abrogatae A. C. esse doctrinae fideique in A. C. propositae confirmationem ac defensionem, esse denique errorum pestiferorum, haeresium, Atheismi, Libertinismi, Naturalismi et Socinianismi obicem firmissimum.

Verum ut a iudice negligentie fieri solet, ut praeiudicio confodiat aliquem, inaudita causa, et neglectis commodis verum indagandi rationibus; ita, experientia testis est, ab iis plerumque fieri deprehendimus, qui libro Concordiae dicam scribunt, ut librum non lectum, non examinatum, non expensum, utilitate, quam ecclesiae praestat, neque considerata, neque ponderata, pretio illius ad veritatis statram non explorato et aestimato, condement, et de iniuria per illum libertati conscientiae facta querantur; siue, ut Lutherus rem exprimit, simpliciter aiunt, lectum non esse, licet lectum ab iis non sit. Lege modo librum, et releges, nocturna versâ manu, versa diurnâ, eueniet tibi, quod multis ante nos euenit, lectio lecta placet, decies repetita placebit. Historia subscriptionis Formulae C. propediem publicandae exempla in vtramque partem profert, tam eorum, qui librum ab ipsis neque lectum, neque intellectum repudiabant, quam eorum, qui ex lectione eius rite explorati, et probe intellecti, haud exiguum se cepisse voluptatem testati sunt. De iis quidem, qui aliquamdiu subscriptionem eius detrectabant, AVG VSTM grauiter et vere pronuntiasset auctor est SELNECCERVS, in historica narratione de Consiliis Augusti in rebus ad religionem pertinentibus. Si, Augustum

sum sua manu scripsisse ait, illis, qui e proceribus subscriptionem libri
 Conc. detrectant, ante hoc tempus Stereoma, et omnes Sacramen-
 torum libros proposuistem, ea mente, vt illis subscriberent, omnes
 prompto hilarique animo sponte subscripsissent, vt literae eorum
 ad me testantur; ego vero Deo auspice ecclesias et scholas meas pu-
 ras et incorruptas conseruabo, qui mecum esse non vult, per me va-
 leat, ego quidem desiderio illius non teneor. Horum vero, qui
 Formulae C. lectae et probatae ex animo subscriferunt, et modestia,
 et pietas, et studium denique in agendis Deo et optimo Principi gra-
 tiis maximum, dignum profecto est, quod hic cum laude commemo-
 retur. A Selneccero itidem accepimus, librum ab optimo Principe
 ecclesiarum et scholarum doctoribus ad lectionem et subscriptionem
 oblatum, ante eius publicationem a plerisque laete et grate acceptum
 esse; vbi Torgauiae Pastoribus et scholarum ministris trium Dioce-
 sium exhibitus fuerit, eos primum in genere egisse gratias Deo et Ele-
 ctori pro beneficio tanto, quo in ecclesiam majus conferri non potu-
 erit; in primis vero senes, qui diu in ministerio, et Lutheri auditores
 fuerint, lacrymis laetitiam animi sui testatos esse, et, se denuo reuiuis-
 cere, dixisse. Misnae, vbi ad subscriptionem libri Conc. prius lecti
 ventum esset, ministros ecclesiarum et scholarum duarum dioecesum
 vnanimiter affirmasse, se mente, corde, ore et manu consentire et
 subscribere, quosdam etiam ita egisse gratias, vt dicerent, hoc bene-
 ficium superare omnia beneficia, quae vñquam in tota vita sua acce-
 pisset: Chemnicii quoque, vbi doctores ecclesiarum et scholarum
 apud Hermunduros, illius nimirum atque Annaemontanae dioecesos
 conuenissent, perfecto libro, placere sibi omnia, et se nullius homi-
 nis auctoritate coactos, sed verbo Dei instructos, libenter illi subscri-
 btere, vnanimiter affirmasse; inter alia vero aliquem ex iis exclamasse:
 Sumus sicut somniantes; haec est dies, quam fecit Deus, exultemus
 et laetemur in ea! Epicureismus haecenus per contentiones domesticas
 confirmatus fuit, nunc assulget lux et spes concordiae salutaris. Iu-
 gundissimum in primis lechu est, quod de Michaelae Sagittario, ecclesi-
 oste Chemnicensi, qui LXVI. annos in ministerio ecclesiae teruierat, se-
 ne octoginta septem annorum venerando, refert, eum coram omnibus
 exclamasse: Aduenisti igitur desiderabilis, quem exspectabamus: cum

Lutheru sepulta fuit veritas et concordia: ecce, nunc summa animi laetitia audiui librum, perlegi, reducentem nos ad Lutherum: Deus huius mei senii confessionem confirmabit et conseruabit. Idem denique et Lipsiae factum esse scribit, vbi Theologos Professores in Academia, et ministros ecclesiarum et scholarum, cum et ipsi perlegissent, declaratione facta eorum, quae dubia ipsis videbantur, omnes et singulos veritati subscriptissime refert, quosdam etiam dixisse, Deum precibus, votis, et conscientiis piorum iam satisfecisse, et Deo gratias pro doctrinae coelestis instaurata puritate in his regionibus, et pro manuductione, (hic se vti ipsorum verbis Selneccerus ait,) qua ab humanis scriptis ad sacras reducerentur literas, egisse. Grate ut tum quidem accepit Lipsia aureum concordiae librum; ita nunc quoque eius inprimis esse, vt Deo, in hac celebritate publicatae F. C. bissaeulari, grates laete persoluat existimamus. Auger enim mirifice gloriam Academiae et Ecclesiae Lipsiensis, quod Deus praeclaro utriusque Doctore SELNECCERO in primis usus est in opere illo fuscipiendo perficiendoque. Huius nimirum viri egregii inter omnes Saxoniae Theologos et Doctores conscribendae F. C. praecipuae fuerunt partes, conscriptae praecipua laus est. Quanquam enim ab Augusto pio, religioso et felice in synodo Torgauensi anno MDLXXVI. praepter Selneccerum e Theologis Lips. D. Wolfg. Harderus, e Dresdenibus D. Mirus et D. Greserus, et quidam alii e Saxonice delecti fuerint et exhibiti ad consilia de scribendo libro Conc. qui primo liber Torgensis dictus est, postea tamen e Saxoniae Theologis hic unus et solus ad opus insequente anno denuo in Coenobio Bergensi explorandum, perpoliendum et absoluendum lectus, et Andreae, Chemnitio, Cornero, Musculo et Chytraeo socius datus est, omnibusque consiliis postea quoque de perficiendo edendoque libro vna cum Andreae et Chemnitio interfuit. Huius viri egregii, in scholis Lutheri, Melanchthonis et Camerarii eruditus, merita post Iac. Andreae circa librum Conc. omnium maxima fuerunt. Ut enim erat pacis amantissimus, et literis sacris humanisque instrudissimus, ita moribus manuetissimus et probatissimus fuit, vt de eius consiliis et negotiis semper optime sperari licuerit. Nihil igitur sine illo agi voluit pii sapientia Principis in arduo illo negotio, et hic ille est, cui forma libri, qua tandem pro.

prodit, in primis accepta est ferenda. Iudicia, censurae, monita Principum et Ordinum Euangelicorum de libro Torgensi, ad ipsos transmissio, ab iis examinata et diiudicata sunt, in argumento et remutatum est nihil; id quod diserte testatus est Selneccerus aduersus calumniatores quosdam, munus scilicet sex Theologorum, ad iudiciorum lectionem Bergae exhibitorum, suis tantummodo legendō cognoscere censuras, et nihil in sententia, cum in ea conueniretur ut plurimum, mutare, licet interdum voculas et utiliter monita addiderint, *Recitat.* III. circa finem. Ipsi quid ea in re praestiterint, Princi literis ad eum die XIV. Martii MDLXXVII. scriptis, quae apud Hutterum leguntur, multis exposuerunt. Sed haec non una laus fuit viri egregii, illo negotio feliciter peracto comparata. Selneccerus noster, verum atque immortale decus et ornamentum Academiae Lipsiensis, dignus quoque iudicatus fuit a Principe, qui cum D. Andreae et Polyc. Lyfero per omnes Saxoniae prouincias mitteretur, ut librum Conc. doctoribus et ministris ecclesiistarum pariter ac scholarum perlegendum et subscribendum proponeant, quod onus humeris suis impositum ita sustinuit, ut negotium illud prosperrime succederet, et e manibus eius non solum vniuersa Saxonia sacra Formula Conc. instar munera prouidentiae diuinae acciperet, sed quoque ex ore illius, dubiorum, quae a nonnullis hinc inde de quibusdam propositionibus, locutionibus et argumentationibus illius mouebantur, resolutiones, rerum difficultiorum explanationes, et earum, quae incertae quibusdam videbantur, confirmationes cum utilitate multorum audirentur. Primus fuit noster, qui Lucae Osiandri latinam F. C. versionem, statim eo, quo publicata est, anno edidit, duobus post annis emendatiorem, et anno inseguente ad monita in Conuentu Quedlinburgensi proposita accommodatam recudi curavit. Sed et alia re magnam nominis famam et meritorum haud vulgarium gloriam consecutus est. Cum enim F. C. multis variorum calumniis, opprobriis et contradictionibus impetratur, Selneccerus inter praecipuos fuit, qui audaciam pariter atque calumniam aduersiorum, quorum sane plerique fuerunt maledicentissimi et virulentissimi, fortiter contuderunt, in quatuor libris, qui in unum corpus collecti nomine *Apologiae Formulae Concordiae insigniun-*

signuntur, quorum tres priores, primus aduersus admonitionem Neo-
 stadiensem, secundus aduersus concionatores Bremenses, tertius aduer-
 sus Christophorum Irenaeum, auctore Timotheo Kirchnero, Elect.
 Palatini Theologo, sociis laborum adsumitis Nicolao Selneccero et
 Mart. Chemnitio, quartus vero aduersus Ambr. Wolffii personati hi-
 storiam Aug. Conf. auctore Selneccero nostro, consiliis Mart. Chem-
 nitii adiuto, scripti sunt. Hoc libro, *Grindliche wahrhaftige Historia von der Augspurgischen Confession*, dicto, et anno 1584. edito,
 SELNECCERVS insignem utilitatem et ingens beneficium ecclesiae
 nostrae praeflitit; haec enim in hoc genere nihil vidit praestantius
 illo. E lippidissimis fontibus hausta sunt omnia, quae ibi de historia
 reformationis proposita sunt; e scrienis enim tabularii Saxonici Sel-
 neccerus scripta et documenta rarissima auctoritate Principis habuit,
 summaque fide historiam suam scripsit, quae ob dignitatem et praes-
 tantiam suam vix elapo a prima editione septennio, denuo recusa
 est Lipsiae, mutata hunc in modum inscriptione: *Historie des Sacra-
 ment-Streits 1591.* et teste LOESCHERO in Prooemio ad Historiam
 motuum, ab aduersariis pariter atque amicis magni fieri atque aesti-
 mari solet. Nemo e sex Theologis, a quibus F. C. conscripta est,
 historiam illius literis consignauit, praeter Selneccerum, qui partim
*Recitationes aliquot de Consilio scripti libri Concordiae et modo agen-
 di, qui in subscriptionibus seruatus est,* partim veram et breuem hi-
 storiam Consiliorum Augusti in rebus ad religionem pertinentibus,
 germanice scriptam, reliquit. Nemo denique eorum, praeter
 hunc unum, ob constantem confessionem veritatis, in libro Concordiae
 ab ipso et Collegis propositae, exilio multatus est. Hic enim
 tristes inter Cryptocaluinismi secundi turbas, morbis canicieque se-
 nex, vt ipse scripsit, anno MDLXXXIX. solum vertere iussus,
 trium annorum exilium passus est, Lipsiam denique redux factus
 maxime ornauit Academiam et Ecclesiam, dignus profecto, cuius
 laudes in hac quoque celebritate F. C. bisseculari pia recordatione
 recolantur, grataeque commemoarentur, et cineribus eius a grata po-
 steritate pie reverenterque parentetur, sancta in primis illius fide
 nobis ad conseruandum imitandumque proposita Ebr. XIII, 7.
 Praeclarus hic ecclesiae doctor, vir immortali dignus memoria, ver-
 ba

ba Lutheri, iacturam Euangeli et veritatis salutaris, ingratiae, tantoque beneficio indigne se gerenti posteritati metuendam vaticinantis, saepius tum quidem in temporum istorum calamitate, in scriptis suis repetit, venturam esse temporis periodum, qua futurum sit, ut Euangelium intercidat, similiter ac olim triumphauerit. Ut enim celerrima eius propagatio a nemine, non a Caesare, Pontifice, Regibus, Principibus, Episcopis, Academiis, vel vlla potentia et arte impediri potuerit; ita fore, vt, Deo, contemtus illius vindice iustissimo, ingratitudini, securitati, et vesaniae hominum irascente, casus interitusque Euangeli itidem a nemine impediri possit. Hoc vero ut Deus a nobis auertat omen, sanctissimis precibus ab eo efflagitemus, Deoque constantiam in fide perpetuam spondeamus, eidemque gratias persoluamus, quod ecclesiam nostram in sincera confessione fidei in Formula C. recte explicatae, solideque confirmatae, per Spiritum Sanctum conseruavit, et piis votis maiorum nostrorum in praefatione illius factis, ut ad posteritatem etiam sincera doctrina professioque fidei, usque ad gloriosum illum aduentum vnici redemptoris et Seruatoris nostri I. C. largiente hoc sancto Spiritu, conseruetur et propagetur, clementissime annuit, spe freti, fore, ut Deus, eodem Spiritu Sancto largiente, ad seram quoque posteritatem eam conseruet, animos eorum, qui ut omnes libros symbolicos, eorumque auctoritatem et usum, disputationibus tam a pietate et veritate, quam a modestia et grauitate alienis, exagitant, ita veritatem religionis reuelatae contentui habent, sanam doctrinam ultius tolerare nolunt, sed auribus pruriētes secundum suas cupiditates sibi coaceruant doctores, et a veritate aures auertunt, ad fabulas diuertunt, salutari veritatis luce collusfret, et ecclesiam nostram in veritate sua erudiat, sanctificet atque confirmet.

Nos, ut gratissima mente memoriam beneficij, quo Deus ecclesiam nostram ante haec duo saecula, publicata per eam Concordiae Formula, ornauit, sancte recolamus, in festiuitate Pentecostali, Spiritus S. gratiam illuminantem, sanctificantem et confirmantem in veritate coelesti ecclesiam pie venerabimur, iustis eam laudibus celebrabimus, eique commendabimus ecclesiam multis modis,

C

multis

DR Yc 62.39

x 3304807

XVIII

multis in primis discordiae malis afflictam. In sacris hisce solennibus Feria I. in aede Paulina habendis Vir Clarissimus et Doctissimus IOANNES MATTHAEVS HAEFNERVS, Smalcaldensis, Philosophiae et liberalium artium Magister dignissimus, oratione docta atque elegante exponet; Concordiam ecclesiae in fide inuisitam, discordiam existio esse; et simul sanctissima vota pro vita, salute atque in columitate Augustissimi Patriae Patris, FRIDERICI AVGVSTI, Principis Elektoris nostri Clementissimi, nuncupabit, atque Patriam, Ecclesiam et Academiam Deo piis religiosisque precibus commendabit. Hunc ut ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI ET PRAENOBILISSIMI benebole audiant, verbis humanissimis decentissimisque rogamus. P. P. Dom: Exaudi A. R. S. H. MDCCLXXX.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEM. HAERED. ET KLAVBARTHIA.



Q 7210, 2.



RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD

RECTOR

ALIA SACRA

N

ACADEMICO

SOLENNI

R. S. H. M D C C L X X X.

LEBRANDA

FAT.

mulae Concordiae memoria
laris.

